et Scholam per Exempla praestantissima et laudabilissima majorum vestrorū
grassaturi; Precor item, ut semper pax aurea, semper concordia, semper justitia
in Curia vestra mutuo se osculo excipiant, nec quicquam supersit adversi, quod stu-
dia pacis et concordiae interturbet, dum nihil vos interim antiquius publicis habetis
comodis, quippe quib9 populi salus semper lex est suprema. Ordinem Oeconomicum, inq;
hoc inclutae hujus Urbis Cives, quib9 jam precib9 excipiam? Ecce ego precor, ut
vos, qui Musis nostris largo praebetis hospitia, qui tuta iisdem conceditis halcyo-
nia, qui harū Alumnis plurima vitae subsidia subministratis, protegat Optim9 Deus,
ut et ipse tanquam perpetuus Israëlis Vigil, ut à moenib9 urbis, ita à laribus vestris
bellum, famem, pestem, incendia, eluviones et similia incomoda, quib9 civium res fa-
miliaris iminui, ne dicam penit9 tolli, solet, prohibeat, faciatq; quo amplius votis
paupertinae sortis Alumnorū respondere possitis. Quid? quod heic precer, ut
fraoretis semper veritate in dictis, veritate in factis quae virtutū ipsa est pul-
cherrima; illaq; porrò flaoretis Misericordiâ, quippe quâ quàm proxime ad Deū
nostrū acceditis, quum is ipse monet: Estote misericordes, sicut pater vester Coelestis est
misericors. Si in quos autē alios exercenda misericordia, in eos hanc exerceatis,
qui eandem expectant, in Musas maximè harumq; cultores, oro rogo, obsecro. Ne
tamen et ordo à me praeteriri heic videatur, cui doctrinam et bonos mores, hoc est
ipsos animos saniores debem9, Ego equidem jam precor, ut in vobis vitae, morū
ac studiorum nostrorum Magistris, clementissim9 Deus, profligatâ barbarie
augeat pergat sapientiam, autoritatem et alia ad docendum, ad regendū
maxime necessaria dona. Faxit optim9 Deus, ut vestra operâ in religione
ac fide, in linguis et artib9, in vitae honestate eos progressus faciamus,
quib9 aliquando reipublicae usui, nobis nostrisq; ornamento sim9 futuri. Clauderem
jam agmen precum, nisi et vobis, Ornatissimi Juvenes, Symmachi Dulcissimi, sub eodem Apol-
linis vexillo strenuè mecum in Musarū Nissiacarum castris militatis, mihiq; in hunc
usq; diem omnem humanitatem et conversationis suavitatē praestitistis, precandum
esset. Precor autē ut unà mecū ad Jesuli mei Exemplū proficiatis aetate, sapientiâ et
gratiâ cum apud Deū, tum apud homines. Postremò universae Ecclesiae Christi militanti,
quia mater nostra est altera, quippe quae nos è semine Verbi divini regenitos
pro filiis habet, inq; spem haereditatis aeternae educat, precor gloriosam contra
omnes Diaboli machinationes et insultus hostium victoriam: Precor eidem pro-
pagationem nominis Jesu Christi per omnes gentes, nec non perennes in Coelorum
throno triumphos. Ita, inste, precor Charissime, Suavissime, Dulcissime Jesu: Fac quaeso,
vota mea sint rata, pondusq; illis ingens jube. Non enim plurib9 te distineo precib9,
sed unū caeteraq; omnia complexum votū in hoc sermonis calce est Curiae, Ecclesiae,
Scholae in inclyta hac urbe Salus. Vos nunc jam, qui adestis, Declamatores prodite,
dumq; ego meū munus absolvi, Mysteriū Circumcisionis Christi cum in purpurei Sanguinis
primitiis, tum in Augustissimi nominis deliciis pandite, unicum salutis nostrae
Assertorē in antiquissimo Sacramento initiationis, quod erat Circumcisio, oculis men-
tis cernendum exhibituri. Nolite dubitare de Auditorū Venerandorū benevolen-
tia, quoniā exporrecta horū frons eandem firmiter polliceri videtur. Quin potiùs
intrepidi adstate, et firmâ voce perorate!
Annuet his coeptis terrae Coeliq; Monarcha,
Arcibus è superis, et benedicet iis.
Quid tandem? Vela contraho Orationis meae, et ad vadū me recipio, id
unicum etiam atq; etiam sumoperè contendens, ut, qui non oratoria pigmenta,
non ingeniosas ac defatigantes persuasiunculas hodiè desideratis, institutum
nostrum tantò libentiùs approbetis, quantò religiosiùs id esse vobismet ipsis per-
suasum habetis. Dixi.

Erdman Mißner
Sorâ Lusatus.

SLUB Wir führen Wissen. GÖRLITZER SAMMLUNGEN OBERLAUSITZISCHE BIBLIOTHEK Uniwersytet Wrocławski